



Opvs Theologicvm

In Tres Tomos Distribvtvm, In quo praecipua totius Theologiae capita accurate pertractantur ... Adiecto ad finem Tertij Tomi Indice rerum notabilium

Qui totam primam partem D. Thomæ, ac multa alia continet, quorum Indicem sequens pagina dabit

Mauro, Silvestro

Romae, 1687

Q. 66. Vtrum in Deo sit Prouidentia, cui omnia sint subiecta, & per quam omnibus immediatè prouideat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84111](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84111)

QVÆSTIO LXVI.

Virum in Deo sit prouidentia, cui omnia sint subiecta, & per quam omnibus immediatè provideat?

S. Th. q. 22. art. 1. 2. 3. & 4.

1. **P**rimò videtur in Deo non dari prouidentia; prouidentia enim, sicut & prouidentia est consiliatiua, & consultiua de rebus agendis; sed consultiua, & consiliatiua, cum sint de rebus dubijs, repugnant Deo, qui de nulla re potest dubitare; ergo.

2. Secundò videntur non omnia, quæ sunt, esse subiecta diuinæ prouidentia. Quod enim sit ex prouidentia gubernantis, non sit fortuito, neque casualiter; sed in mundo multa sunt fortuito, & casualiter; ergo.

3. Tertiò quæ sunt præter intentionem gubernantis non sunt subiecta eius prouidentia; sed peccata sunt præter intentionem Dei; ergo non sunt subiecta diuinæ prouidentia.

4. Quartò prouidentia, sicut & prudentia ex Aristotele 6. Ethicorum cap. 5. 9. 10. & 11. est recta ratio contingentium, de quibus est consilium, & electio; sed præter effectus contingentes dantur etiam in Mundo multi effectus necessarij; ergo &c.

5. Quintò videtur Deus non providere immediatè omnibus rebus. Si enim Deus immediatè prouideret omnibus rebus, excluderetur prouidentia causarum secundarum ut frustranea.

6. Sextò ad dignitatem supremi Principis spectat, ut non omnibus provideat immediatè, sed aliquibus provideat solum mediatè per ministros, & ut docet Augustinus in Enchiridio, cap. 17. & Aristoteles 12. Metaph. text. 41. melius est quædam nescire, quam scire, ut valde vilia; sed Deotribuendum est omne, quod est melius; ergo Deus quædam vilia, quæ sunt in vniuerso, non scit, ac proinde neque illis immediatè prouidet, ideoque Apostolus 1. ad Corinthios 9. dicit: *Numquid de bobus cura est Deo?*

7. Septimò Deus non prouidet ijs, quæ reliquit in manu consilij sui; sed Deus creaturas liberas reliquit in manu consilij sui, ideoque Ecclesiast. 15. dicitur: *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilij sui*; ergo Deus non immediatè prouidet creaturis liberis. Confirmatur: nam si Deus immediatè prouideret creaturis liberis, imposeret illis necessitatem, & libertatem auferret.

8. Respondeo, quod prouidentia definitur à Sancto Thoma hac quæstione 22. art. 1. in corpore: *Ratio ordinis rerum in finem, & ut idem*

Sanctus Doctor refert, definitur à Boetio lib. 4. de Consolatione Philosophiæ Prosa 6. *Diuina ratio in summo omnium Principe constituta, per quam cuncta disponit.* Sensus harum definitionum est, quod prouidentia est diuina ratio, qua res ordinat ad suos fines per media conuenientia.

9. Circa diuinam prouidentiam in hoc sensu plures fuerunt errores, qui referuntur à Ruiz de prouidentia disp. 1. sect. 2. & ex doctrina Sancti Thomæ hac quæst. 22. art. 2. & 4. reduci possunt ad quinque. Primus est Democriti, Epicuri, & aliorum, qui totaliter negarunt Deo prouidentiam, ac dixerunt mundum factum fuisse casu. Secundus est aliorum, qui dixerunt, Deum habere prouidentiam solum rerum cælestium, & incorruptibilium, non autem sublunarium, & corruptibilium, & ex horum persona dicitur de Deo Iob. 22. *Circa cardines Cali perambulatur, nec nostra considerat.* Hunc errorem videtur secutus Aristoteles, & magna ex parte Plato, ut docet Ruiz de prouidentia, disp. 1. sect. 2. Tertius fuit Rabbi Moyses, qui ut refert S. Thomas hac quæst. 22. art. 2. docuit Deum habere prouidentiam de solis indiuiduis incorruptibilibus, non autem de corruptibilibus, exceptis hominibus, quos propter splendorem intellectus dignos existimauit, ut de ijs etiam quoad indiuidua Deus haberet prouidentiam, & gereret curam. Quartus est eorum, qui dixerunt Deum non habere præscientiam, & prouidentiam immediatam de nostris actibus liberis, quia alioquin auferret illis libertatem, & hunc errorem videtur secutus Tullius, de quo dixit Augustinus lib. 5. de Ciuitate, cap. 9. *Dum homines vult facere liberos, facit sacrilegos.* Quintus est aliorum, qui dixerunt Deum ita habere prouidentiam de omnibus, etiam de actibus nostræ voluntatis, ut rebus omnibus imponat necessitatem, ac actibus voluntatis auferat libertatem.

10. Contra hos errores de fide est, ac ratione etiam naturali demonstratur, Deum habere prouidentiam omnium rerum, non solum cælestium, & incorruptibilium, sed etiam inferiorum, & corruptibilium, non solum quoad speciem, sed etiam quoad indiuidua, ac præsertim habere prouidentiam actionum humanarum, nec illis libertatem auferre.

11. Probatur primò hæc veritas ex Scriptura. Sapientia enim sexto dicitur: *Aequaliter est illi cura de omnibus*; & cap. 11. *Omnia in mensura, numero, & pondere constituisti*; & cap. 12. *Non est alius Deus, quam tu, cui est cura de omnibus.* Proverb. 18. *Attingit à fine, usque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.* Matthæi 6. & 10. & Lucæ 12. Christus dicit. *Respicite volatilia Cali, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater cælestis pascit illa. Nonne vos magis pluri estis illis?* & Matth. 10. *Nonne duo passeret asse vaneunt, & vnus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro?* Præterea tota Scriptura in eo versatur, ut proponat Deum

Deum per præcepta, consilia, doctrinam, exempla, reuelationes, supplicia, præmia &c. nos à vitijs auocantem, & ad virtutem allicientem; sed hæc omnia probant Deum habere specialem prouidentiam rerum humanarum, ac illis non auferre libertatem; nam iniuste puniret pro peccatis commissis, si non fuisset liberi ad illa vitanda; ergo.

12. Probatur secundò eadem veritas ratione naturali. Ex dictis enim quæst. 18. nu. 9. & sequentibus, Deus est infinitè perfectus, & habet omnes perfectiones simpliciter simplices; sed ad infinitam Dei perfectionem spectat, ut omnia ab æterno cognoscat, non solum in vniuersali, sed etiam in particulari, & in indiuiduo, & ut omnia etiam in particulari, & in indiuiduo disponat, ita ut nihil fiat, quod eius prouidentiam effugiat; ergo &c. Confirmatur: nam naturaliter homines in angustiis, & periculis inuocant diuinum auxilium; multi etiam in aduersitatibus Deo irascuntur, & in illum blasphemias proferunt; ergo naturaliter supponunt nihil euenire, quod diuinam prouidentiam effugiat.

13. Probatur tertio: nam id, quod in vniuerso est pulcherrimum, & optimum, non debet dari casu, per accidens, & præter intentionem; sed agentia particularia habent ideam solum effectuum particularium, illosque intendunt; ergo ne totum vniuersum sit casu, per accidens, & præter intentionem, necesse est, ut primum agens vniuersale, hoc est Deus, habeat ideam totius operis, & omnium partium vniuersi, & omnia non solum in vniuersali, sed in particulari, & in indiuiduo disponat, & ordinet ad suos fines, ac proinde per suam prouidentiam immediatè descendat ad omnia, & singula, non solum in corruptibilia, sed etiam corruptibilia, non solum in vniuersali, sed etiam in particulari, & in indiuiduo; sed si Deus debet omnia disponere, & ordinare ad suos fines, & ad suas operationes, debet etiam causas disponere, ita ut operentur iuxta suas naturas; est autem iuxta naturam causarum liberarum, ut operentur liberè; ergo Deus per suam prouidentiam debet efficere, ut causæ liberæ operentur liberè, ac proinde non debet illis imponere necessitatem ablatiuam libertatis. Videri possunt quæ ad ostendendam prouidentiam dicta sunt quæstione 16. num. 22. & sequentibus, & quæ fusè affert Ruiz de prouid. disp. 1. sect. 3. & sequentibus.

14. Ad 1. distingo maiorem: prouidentia est consiliatiua formaliter, vel eminenter, concedo; formaliter solum, nego; distingo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Prouidentia debet considerare omnia, quæ ad res agendas pertinent, ut de ipsis habeat cognitionem certam, in quantum haberi potest; & quia nos propter imperfectionem nostri intellectus non possumus peruenire ad cognitionem certam rerum agendarum, nisi viâ consilij, consultationis, & inquisitionis,

ideo prouidentia in nobis debet consultare formaliter. Deus è conuersò quia vnico intuitu videt omnia spectantia ad res agendas, non debet consultare formaliter, sed solum, eminenter. Cognitio autem illa certissima, qua Deus vnico intuitu videt omnia, quæ spectant ad res agendas, continet eminenter, & seclusis imperfectionibus, omnes nostras consultationes, & inquisitiones, ideoque est eminenter consultatio, & ad Ephesios 1. de Deo dicitur: *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.*

15. Ad 2. distingo maiorem: quod fit ex prouidentia gubernantis, non fit fortuito, & casualiter respectu ipsius gubernantis, concedo; respectu aliorum, nego; & distingo minorem: in mundo multa fiunt fortuito, & casualiter respectu Dei, nego; respectu agentium inferiorum, concedo; & nego consequentiam. Gubernator potest per suam prouidentiam multa ita ordinare, ut accidant fortuito, & casualiter respectu causarum inferiorum, intendens hoc ipsum, ut accidant fortuito, vel casualiter respectu inferiorum; e. gr. (& est exemplum S. Thomæ hac qu. 22. art. 2. in resp. ad primum) potest dominus mittere duos seruos per duas vias, ut sibi præter opinionem occurrant in certo loco, & tunc ille occursum est fortuitus, & casualis respectu seruorum, non autem respectu domini; ergo Deus, qui debet ita vniuersum disponere, ut in eo dentur omnes ordines rerum, & causarum, debet etiam quædam ita disponere, ut sint fortuita, & casualia respectu causarum inferiorum, licet non possint esse fortuita, & casualia respectu Dei.

16. Ad 3. distingo maiorem: quæ fiunt præter intentionem gubernantis, ipso præuidente, & permittente propter aliquod bonum, non sunt subiecta eius prouidentiae, nego: ipso non præuidente, neque permittente, concedo; distingo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Ad perfectam prouidentiam spectat, ut permittat etiam quædam mala, ex quibus videt se posse elicere maiora bona, ideoque hæc mala, si fiant, gubernante præuidente, & permittente, sunt subiecta eius prouidentiae; sed Deus peccata facienda præuideret, & permittit, ut ex ipsis eliciat maiora bona iuxta illud Augustini in Enchiridio cap. 11. *Deus omnipotens nullo modo sineret malum aliquod esse in operibus suis, nisi usque adeò esset omnipotens, et bonus, ut beneficeret etiam de malo; ergo etiam mala, & peccata, quæ fiunt, sunt subiecta diuinæ prouidentiae.*

17. Ad 4. concedo maiorem, & distingo minorem: dantur in mundo aliqui effectus necessarij absolutè, & respectu causæ primæ, negotiæ suppositione, & respectu causæ secundæ, concedo; & nego consequentiam. Licet ex suppositione, quod aliquæ causæ secundæ existant, & sic disponantur, quidam effectus sint necessarij respectu ipsarum, tamen non fuit necessarium Deo causas secundas ponere,

re, & sic disponere, adeoque Deus, sicut sua prouidentia posuit aliquas causas secundas, easque sic disposuit, vt suos effectus producerent necessario, sic causas liberas ita posuit, & disposuit, vt quoddam effectus producerent liberè.

18. Ad 5. nego minorem. Deus ita prouidet immediatè omnibus effectibus, vt ad quosdam producendos vtatur etiam causis secundis, & earum prouidentia. Nec sequitur causas secundas, & earum prouidentiam esse frustraneam. Nam hoc ipsum spectat, & conducit ad ordinem vniuersi, vt causae secundae participant à Deo primò agente, & prouidente hoc, quod est agere, & prouidere ijs, quae ad ipsas spectant.

19. Ad 6. distinguo maiorem: ad dignitatem supremi Principis habentis capacitatem finitam spectat, vt non omnibus prouideat immediatè, sed quibusdam prouideat solum mediatè per ministros, concedo; habentis capacitatem infinitam, nego; & nego consequentiam. Ad dignitatem supremi Principis, qui propter suam capacitatem finitam non potest omnibus immediatè prouidere, spectat, vt solum rebus maioris momenti prouideat immediatè, rebus autem minoris momenti prouideat solum mediatè per ministros; sed Deus habet capacitatem infinitam, per quam ita potest immediatè prouidere minimis, vt non defatigetur, neque auertatur à cura maiorum; ergo debet ita vti ministris, vt omnibus immediatè prouideat. Intellectui etiam finitae capacitatis melius est quædam vilia nescire, quam scire, ne impediatur à scientia digniorum. At diuino intellectui habenti infinitam capacitatem melius est scire omnia etiam vilissima, ac non solum in vniuersali, sed etiam in singulari, & in indiuiduo. Apostolus dicens: *Nunquid de bobus cura est Deo?* Solum significat Deum non habere curam bouum ratione ipsorum, sed gratia hominum, ad quos ordinantur.

20. Ad 7. nego maiorem. Deus reliquit hominem in manu consilij sui, ita vt sinat illos liberè facere quod volunt, sed non ita, vt abiecerit eorum prouidentiam, qua regit eos præceptis, & consilijs, & terret minis poenarum, allicit propositiōe præmiorum, prouidet, & permittit mala, quae faciunt, mouet, & impellit ad actus bonos per auxilia gratiae &c. Ad confirmationem nego antecedens, ac dico, quod sicut Deus ita immediatè prouidet causis necessarijs, vt faciat eas agere necessario, sic ita prouidet immediatè causis liberis, vt faciat eas agere liberè, vt magis explicabitur infra quæst. 83. 84. 85. & 86. in quibus ex professo agitur de concordia libertatis creatæ cum diuina scientia, voluntate, prouidentia, & prædestinatione.

QVÆSTIO LXVII.

Quos actus includat prouidentia, & vtrum principaliter, et in recto importet actum intellectus, vel actum voluntatis, vel vtrumque aequè principaliter?

1. Primò videtur prouidentia consistere solum in actu intellectus, non autem in actu voluntatis. Definitur enim: *Ratio ordinans res ad suos fines*; sed ratio est actus intellectus, non autem voluntatis; ergo.

2. Secundò videtur non posse explicari, in quo actu intellectus consistat. In Deo enim datur triplex actus scientiae, nimirum scientia simplicis intelligentiae, scientia visionis, & scientia media; sed non potest explicari, vtrum prouidentia consistat in omnibus his scientijs, vel solum in aliqua ex his; ergo &c.

3. Tertiò videtur neque etiam posse explicari, in quo actu voluntatis consistat, an in intentione finis, vel in electione mediorum.

4. Respondeo, quod quandoquidem ex dictis quæst. 64. num. 8. prouidentia est: *Ratio ordinans res ad suos fines per media convenientia*, includit intentionem finis, electionem mediorum, & rationem ordinantem res ad fines per media electa; e.g. prouidentia, per quam Deus ordinat mundum ad finem diuinæ gloriæ, includit intentionem diuinæ gloriæ, electionem mundi, & ordinis rerum tamquam mediorum ad Deum glorificandum, & rationem, qua Deus ordinat mundum ad finem diuinæ gloriæ. Cum autem in Deo detur triplex scientia, seu cognitio, nimirum scientia simplicis intelligentiae, scientia media, & scientia visionis, dubitatur, in quam ex istis tribus scientijs consistat illa ratio, per quam Deus ordinat res ad suos fines.

5. Prima sententia docet rationem, per quam Deus ordinat res ad suos fines, esse scientiam simplicis intelligentiae, & mediam, per quas Deus dirigitur ad intendendum finem, & eligenda media.

6. Secunda plurium Thomistarum docet hanc rationem esse iudicium medium inter intentionem finis, & electionem mediorum, per quod Deus, intento fine, iudicat, quae media sint eligenda, & dirigitur ad electionem mediorum.

7. Tertia, quam sequuntur Ruiz de Prædestinatione disput. 1. sect. 6. & Granado in primam partem tract. 3. disput. 3. docet hanc rationem consistere in iudicio, quo Deus, intento fine, & electis medijs, cognoscit, & intimit voluntati executionem mediorum, quorum facta est electio. Hoc autem iudicium vocant imperium monarchicum.

8. Di-